nihilo habentur. Sub audis ea quae apud deum nullius momenti deputantur. Eorum id est hominum. Mane transeat id est in infantia.
Mane floreat. id est in iuventute. Vespere decidat. id est per mortem. Induret. id est in cadavere. et arescat. id est in ci-
nere. Quia defecimus in ira tua. id est in ira quam primo homine peccante contraximus. defecimus ab inmortalitatis et
beatae visionis conditoris statu. Et in furore tuo turbati sumus. id est in meditatione videlicet mortis. quam nobis
propter poenam peccati superduxisti. meditantes enim nos mortem evadere non posse conturbamur. Posuisti iniquitates nostras
in conspectu tuo id est cum vindicasti peccata nostra in deserto. Seculum nostrum in inluminatione vultus tui. id est manifeste
facti sunt tibi omnes actus nostri nec te possunt latere. Quoniam omnes dies nostri defecerunt. id est quia nos in ipsis defecimus. Ideo
dies nostri defecisse dicuntur. sive etiam defecerunt dies nostri id est pauci facti sunt ad comparationem eorum. Anni nostri sicut ara-
nea meditabuntur. id est quid umquam vilius. quid infirmius. ut abiectius est cui haec vita exequari possit. pro qua ara-
nea. adeo certe aranea infirmum est. perfusaque nullius virtutis animal. ita ut nihil utilitatis habeat.
nisi tantum muscis praetervolantibus laqueos deceptionis innectat. Quo facto eos designare videtur. qui dolis et subti-
li argumentatione eos quos possunt irretire conantur. Sed adtendendum quia telae aranearum facillime dissolvi possunt.
ut potentes teneres et graciles. Unde conciendum. quascumque secularium fraudes et deceptiones brevi finiendas. Et nota
quod non dicit operabuntur. sed meditabuntur. quia videlicet secularis intentio et actus. ad nullius perfectionis evadit exitum. nullius
utilitatis affert fructus. Dies annorum nostrorum in ipsis. id est quia nongentis octingentis et eo amplius vivebant annis. vix e-
nim aliquis ultra septuaginta vel nonaginta annos invenitur vivere. Quia dehinc iuxta litteram dubie loquimur. ad al-
legoriam convertamur. quo est vetus et nunc exitus earum rerum quae dubie dicuntur in sacra scriptura. Quia ergo in maiore et in mi-
nore numero eandem significationem exprimere novimus. per septuaginta vetus testamentum non absurde interpretari possumus.
propter septimam diem in qua sabbatum celebrant iudei. Per octoginta vero novum testamentum. propter gloriam dominicae resurrecti-
onis quae octava die celebratur. Eandem quippe significationem continet semper in maiori numero. quam et in minori.
Dies ergo annorum nostrorum in septuaginta et octoginta annis constituuntur. quia ad hoc constitutus est homo. ut omni tempore
creatori suo serviat. et praecepta eius quasi in veteri et novo testamento meditetur. et implere studeat. Et nota quod dicit.
in potentatibus octoginta anni. Nam impletio praeceptorum veteris legis. minus perfecta est. Si quis autem mandata novi
testamenti quae utique altiora sunt observare queat. hoc est consummata virtus et verus potentatus. Et amplius eorum labor et
dolor. id est excessus veteris et novi testamenti. Labor quidem est malorum afflictionum. quae in praesenti propter peccata con-
tingunt. Dolor vero gehennalium poenarum. quibus qui in praesenti praecepta dei contempnunt. et hic affliguntur. et in gehenna
puniuntur. Quod est dicere aliis verbis ne hanc vitam diligamus. In qua vix hi qui ad perfectam aetatem veniunt septua-
ginta annos. aut si multum octoginta contingunt. Et hoc est quod ait in potentatibus octoginta anni. id est in his qui
diutissime vivunt. Et amplius eorum labor et dolor. Labor videlicet iam decrepitae senectutis cui nulla cui
nullam voluptas delectationem praestat. et dolor ingruentium morborum imminet. Philosophi gentilium istam hominum
vitam nonaginta sex annis dicunt perfici. quia maxime septenario perficitur. Nam primum infantia. septem annis im-
pletur. Quae vero sequitur. pueritia duobus septenariis perficitur. et ibi homo iam vi gignendi incipit. ac tunc primo pu-
bescere incipit. Post hanc succedit adolescentia. quae vicesimo et uno anno consummatur. et ibi est finis in longitu-
dine crescendi. neque enim homo postea in altum crescit. Dehinc autem subditur iuventus. quae impletur ducto quar-
to septenario vicesimo scilicet octavo anno. Post hanc sequitur robusta vel constans aetas. quae tricesimo sexto anno
impletur. Quoniam supervenit mansuetudo. Lex veteris testamenti aspera erat et gravis ac statim puniens. Evan-
gelica vero doctrina mitis est et mansueta. ad paenitentiam expectans. et suaviter nos corripiens. Corripiemur
inquit videlicet et si flagellis attriti fuerimus. hoc ipsum ad eruditionem nobis erit non ad damnationem. Quis no-
vit potestatem id est quis intellegere potest. quanta potentia diabolum et membra eius damnes. et subaudis
quis potest prae timore tuo iram tuam dinumerare. patiendum est nimis. quod his quibus in praesenti parcis potius
irasceris. quia quanto magis patientia tua abutuntur. eo gravius eos damnabis. Dexteram tuam sic notam fac. et eru-
ditos corde in sapientia. Id est fac incarnari filium tuum qui per semetipsum invisibilis est. ut ita universo
mundo innotescat. Non solum ipsum fac notum. sed etiam aptos qui eruditi sunt corde. et hoc non humana scien-

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 192 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/192)